



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Luxuria est contraria lumini rationis, & fidei. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

cuis, & ferarum; sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis; & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore; & antehominè, suâ jam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant. Id. ib.

Non illam solum persecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogis; sed si fortè te voluptas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra; hæc, si virtutis es filius, tanquam persecutionem maximam fuge. Origen. hom. 7. in Gen.

Cum multi sint morbi, & ægritudines, animi, quibus homines capiuntur; nihil tantam in nos habere vim ostendit, quantam spurcissima hæc libido. Sancti Gregorius Nyss. l. de vita Moyf.

Bella gentium legimus superasse quamplurimos; quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse; regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis. S. Chrysol. f. 41.

Certamen adversus Spiritum fornicationis longum præ cæteris, ac diuturnum; & perpauca ad purum devictum, immane bellum. Joan. Cass. de cœnob. instit. l. 6.

Venerem fabulantur è mari oriundam, & ex aquarum spumis. Cur ex humidis, ac frigidis, aquis orta fingitur? nonne melius vini diceretur, de quo Eph. 5. 18. *nolite incubriari vino, in quo est luxuria.* Et Prov. 20. 1. *luxuriosa res vinum.* Quid ergo illi veneris, fœdi amoris deæ, originem in aquas referunt? S. Hieron. ait: eò nos moneri, etiam securitati posse esse periculum. Nam si Venus, si luxuria, ex frigidis aquis prodit; quomodo non magis ex calido vino nascetur? & quantum eâ cavendum? Didac. Niss. f. 2. D. 4. Quadr.

§. VI.

Luxuria est contraria lumini rationis, & fidei.

Ex Veteri.

Supercecidit ignis (luxuria) & non videntur solem justitia. Pl. 57. 9. Hugo Cardin. hic.

Puteus angustus aliena. Prov. 23. 27. id est, meretrix, quæ non est tua uxor. Comparatur puteo angusto: quia sicut puteus profundus est, & obscurus; sic est libido, & meretrix. S. Chrysol. hom. 11. in 1. Corinth. quando ab impudica libidine capta fuerit anima: sicut nubes, & caligo, corporis oculos; ita cum illa eripuerit menti perspicendi facultatem; nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem - & tanquam fenestris carens paries undique ante oculos excitatus, non sinit radium justitiæ menti illucescere, absurdus libidinum cogitationibus ipsum undique arcantibus. Cornelius hic.

Tenebra circumdant me &c. Eccl. 23. 26. Qui firmus in fide persistere cupit, sit castus: castitas enim est custos veræ fidei, & religionis: hanc enim invertit libido. Id. hic.

Labor Egypti &c. If. 45. 14. Per laborem Egypti significatur peccatum luxuriæ: quia obtenebrat rationem. Hugo Card. hic.

Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor. Ol. 4. 11. id est, mentem, rationem, judicium; ac hominem, dementat, facitque recordem. Ità Theodoretus, S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4. Theotimus, cum gravi oculorum incommodò laboraret, & amaret uxorem; interdictâ sibi à Medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, vale, inquit, amicum lumen. Corn. hic.

Non dabunt cogitationes - & Dominum non cognoverunt. Ol. 5. 4. Ecce quor mala facit luxuria! ex quo enim Spiritus fornicationis possedit cor, statim recedit cognitio Dei. Hugo Card. in c. 8. Gen.

Ex Novo, & Patribus.

Oblatus est ei demonium habens cæcus. Matth. 12. 22. Carnalium voluptatum delectatio est demonium cœcum: hæc est carnalis concupiscentia, quæ excæcat oculos mentis. S. Thom. Aqu. D. 2. Quadr.

Sinite illos, cæci sunt &c. Matth. 15. 14. S. Greg. l. 6. ad 1. Reg. 2. Superbi Pharisæi ab ipsâ Veritate cæci nominantur, quæ Discipulis ait: *cæci sunt, & duces cæcorum.* Quæ utique cæcitas specialiter libidinis adscribitur: quia nulla sunt vitia quæ spissioris tenebras menti ingerant, quam libido.

Fide Rahab meretrix non perijt, cum incredulis. Hebr. 11. 31. Luxuriæ mancipium fuit, & ad huc salvata est: appellemus ad fidem: grande fidei prodigium reputari debet: *fide non perijt.* S. Ambr. l. 4. ep. 4. ubi inceperit, quis luxuriari, incipit deficere à fide vera. Alvarez Illustr. 100.

Impossibile, impossibile est profectò; si vitam impuram habeas, in fide non vacillare. S. Chrysol. t. 6. f. 1. de V. Ap.

Cupido cæcus fingitur; ut cæcitate corporis repræsentet cæcitatem mentis. Eusebius 8. Strom. c. 6.

Quid deterius est concupiscentiâ malâ; quæ ità totam excæcat mentem, ut non tantum timorem Dei, quantum etiam ipsas penas legum, infamemque mortem, oblivioni dans; nihil in mœcho remaneat luminis, quod non totum occupent fœrales tenebræ. Sancti Prosper p. 1. c. 36.

§. VII.

Luxuria vicina, & affinis est morti.

Tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scindit vomere: & ducunt eam ad vallem asperam, atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit; & cadent in ea ceruices vitule. Deut. 21. 3. 4. Hæc vitula, est anima vana, & lasciva; quam nec jugum obedientiæ domat, nec aratrum poenitentiae fatigat. Hanc finaliter dæmones de armento trahunt; ac ad asperam, & saxosam vallem ducunt; quando eam